



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

359. An Papa teneatur admittere seu deputare Coadjutorem perpetuum,
quem Coadjutus & major saniorque pars Capituli postularit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 359. An Papa teneatur admittere seu deputare Coadjutorem perpetuum, quem Coadjutor & major saniorque pars Capituli postulavit?

1. **R**espond. primò : Non teneri ad hoc Papam, etiam dum verè adest Ecclesiae necessitas, vel evidens utilitas, ex Justitia propriè tali. Si enim tali ratione non teneretur ad admittendam postulationem propriè talem, ut tenent cum communi Laym. in c. bona. de postulat. n. 6. Tondur. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 5. Passerin. de elect. c. 24. num. 47. multò minùs sic teneretur admittere postulationem Coadjutoris, quæ, ut dictum supra, in pluribus deficit à ratione propriæ, seu postulationis canonice. Neque quemadmodum illa fundatur in ipso jure eligendi (dum eo ipso, quod Electores jus habeant eligendi, jus quoque habeant procedendi per viam postulationis) adeoque magis adhuc quàm illa innititur gratiæ; & de qua ait Cardin. de Luca de Regul. d. 53. num. 14. Coadjutoris concessio petita à Prælato, qui Coadjutore eget. pendet à mera gratia Papæ, qui ut suum arbitrium in hac gratia concessione bene interponat, petitionem examinandam remittit Consultationi S. Congregationis Consistorialis gerentis partes Assessoris seu Consultoris Papæ &c. Ratio quoque responsionis est, quia per talem Coadjutoris denominationem oblatam Papæ jus nullum neque Capitularibus, neque designato Coadjutore, neque etiam Ecclesiae acquiritur; adeoque sine horum injuria rejici potest. Ad hæc non minùs gratiam dispensationis continet, quàm illa propriè dicta postulatio, dum Papa Prælato coadjuvando permittit sibi designare Successorem, quod alias est contra jura; jam verò dispensare, etiam dum adest urgens ratio, non est debitum proprium Justitiæ; neque cogitur Superior ad dispensandum in sua lege, seu ad relaxandum jus ex multitudinis petentium, vel etiam honestate petitionis, Laym. loc. cit. & ego pluribus citatis in Foro benef. p. 2. q. 229.

2. Respond. secundò : Videtur tamen Papa teneri ad hoc, ubi urgens est necessitas & ingens Ecclesiae utilitas, ex æquitate aliqua, quin & ex debito aliquo Justitiæ legalis, quatenus vi officii sui teneretur utilitati boni communis consulere, vel etiam quandoque ex debito Charitatis, non secus ac alias quandoque ex his virtutibus teneretur dispensare in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii, si urgens adest causa, maxime publicæ utilitatis aut necessitatis, quemadmodum dici solet de admissione veræ postulationis, Laym. loc. cit. num. 48. Vide dicta à nobis loc. cit. n. 2.

3. Non tamen video, qualiter Papa etiam in illis circumstantiis non admittendo denominationem à Capitulo & coadjuvando in Coadjutorem contraveniat Concordatis Germaniæ. Non enim in iis promittit Papa, se designatum à Capitulis in Coadjutorem seu Successorem Prælati adhuc viveatis admissurum; quia ne quidem canonicè postulatum sede vacante se obtrinxit admissurum; sed solum legitimè electum, si nullum patiat defectum, se confirmaturum.

Quaestio 360. An coadjuvandus suis Capitularibus privatim, vel etiam publice in Capitulo certam personam pro suo Coadjutore proponere & recommendare valeat?

1. **R**espond. ad primum affirmativè, nimirum id eum posse privatim. Si enim Capitulares antecedenter ad electionem instituere possint tractatus privatos de persona certa eligenda; quin & ipse Capituli præses aut quisvis alius de Capitulo cæteris Capitularibus proponere, & recommendare potest personam certam tanquam magis idoneam absque eo, quod per hoc vitietur subsequens electio; quin & tales tractatus prævii informatorii & consultatorii, in quibus unus alterum informat de virtutibus aut vitiis hujus vel illius personæ eligendæ vel non eligendæ, de majore utilitate Ecclesiae speranda ab hac quàm illa persona laudabiliter instituuntur, & ad bonam electionem sunt necessarii, secus, ne accidit in tractatibus ambitiosis, factionalibus, conditionalibus, aut etiam simoniacis; multò minùs nocebit securura illi denominationi Coadjutoris talis propositio & recommendatio certæ personæ tanquam magis idoneæ facta à coadjuvando ipso, modò sicut intra limites recommendationis, nullum metum aut vim infertens, preces armatas vel importunas continendo, ut quandoque contingit. Neque enim hac ratione tollitur aut minuitur libertas Capitularium, præsertim si vota ferantur per scrutinium occultum. Neque etiam minùs per hoc prospicitur utilitati & bono Ecclesiae, dum coadjuvandus ipse præ cæteris optimè præsumitur nosse statum, & necessitatem Ecclesiae suæ, modò tamen in hoc non plùs quàm æquum, tribuat carni & sanguini, magis spectando familiæ suæ, suorumque exaltationem, quàm sponsæ suæ Ecclesiae decorem & utilitatem. Quin & sic proceditur suavius & connaturalius, magisque consultitur tranquillitati, dum non obruditur coadjuvando persona ei suspecta, ingrata & invisa; & vel sic facilius Coadjutore præbetur ansa captanda mortis Coadjuti. Quamvis de cætero non sit contra Coadjutoris naturam & essentiam, personam à coadjuvando commendatam præterire, & eligere aliam; cum suffragia Capitularibus remaneant libera. Et licet necesse sit, coadjuvandum præbere consensum in denominationem Coadjutoris, sive ut sibi detur Coadjutor, non tamen necesse est, ut ipse consentiat in personam denominatam.

2. Respond. ad secundum quoque affirmativè, nimirum posse per se loquendo id ipsum coadjuvandum publice in Capitulo, si enim id fieri potest privatim, nihil obstat, quò minùs id fieri quoque possit palàm, quamvis per accidens id quandoque fieri non expediat, dum fortè hic & nunc exinde animorum averfio, diffidia, aliæque mala merito timeantur securura.

Quaestio 361. An post capitularem resolutionem de habenda electione Coadjutoris, sive de aliquo in genere in Coadjutorem postulando, à jure statutum tempus, intra quòd faciendæ est denominatio certæ, & determinatæ Coadjutoris?

Respond. negativè. Cum enim neque sit electio, neque postulatio propriè talis, quibus à jure